



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Præceptum Ludovici Regis quod facit Ysaac Gratianopolitano Episcopo &
successoribus ejus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

156 MISCELLANEOBUM
nis DCCCXCII. & eodem Christo propitio reg-
nante domno nostro Ludovico anno secundo in Bur-
gundia seu Provincia, Indictione x.

Actum Lugduni civitate in Dei nomine feliciter.
Amen.

*PRÆCEPTUM LUDOVICI
Regis quod facit Ysaac Gratianopolitano
Episcopo & successoribus ejus.*

Anno Christi
894.

IN nomine sanctæ & individuæ trinitatis. Lu-
dovicus divina ordinante providentia Rex. Digi-
num est ut regalis sublimitas procerum suorum peti-
tionibus annuat & annuendo adimpleat, quanto eos
viderit in suis obsequiis persistere efficaces. Idcirco
omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ regni que no-
stri, nostrorum videlicet & futurorum Regum, no-
verit solertia quia domina genitrix nostra Hirmin-
gardis Regina nostram regalem expetiit clementiam
super quodam fidei nostro Ysaac venerabili Episcopo,
ut præceptum vel donum quod pius genitor
noster Boso Rex fecerat de Ecclesiis sanctæ Mariæ
seu sancti Donati confessoris eximij cum suis spiri-
tualibus obsequiis confirmaremus. Est autem ipsa
Ecclesia sita in comitatu Viennensi, in vico Iovin-
ziaco. Cujus nos precibus annuentes unà cum Episcopis,
Comitibus, seu nonnullis regiminis nostri
Principibus, stabilitatis præceptum sancimus ut
ipse Ysaac ejusque successores nullo contradicente
in prædicta Ecclesia cum omni ejusdem loci clero
teneant possideant omnes virtutes quas mater Eccle-
sia perpetim videtur habere in omnibus ecclesiasticis
ordinibus, chrisma videlicet in Domini cœna bene-
dicendo, pœnitentiam peccatoribus dando, eicien-

doque ex Ecclesia & suscipiendo tempore congruo, festiuitates celebrando, pauperes ibi & nobiles mortuos sepeliendo. Firmamus etiam prædicto venerabili Isaac Episcopo ut omnes res suæ proprietatis quas ipse in pago Viennensi vel Lugdunensi atque in Provincia seu in quibuscunque locis regni nostri per chartarum instrumenta ei concedimus, quocunque ingenio, hereditate, donatione, concambiatione, & comparatione in suprædictis locis acquisitas res habet, vel inantea Deo propitio acquirere potuerit, tam de hereditate propinquorum suorum quamque de cunctis Christianis, Iudæis & Iudæabus, fiscalinis nostris, seu de omnibus Ecclesiarum regni nostri comitatum commutationibus, concambiationibus, omnia suprædicta per præceptum nostræ auctoritatis illi concedimus seu confirmamus hereditario jure quietè habenda. Decrevimus itaque fieri hoc nostræ auctoritatis præceptum Isaac venerabili Episcopo, per quod omnes res suas illi condonamus modis omnibus regali auctoritate habendas, ita ut deinceps eas absque alicujus contradictione quieto ac pacifico possideat jure, & cuiuscunque voluerit derelinquat, & omnia superiùs nominata absque aliqua minoratione contradictoris possideat. Et si aliqua invidia, vi, dolo, vel concrementatione ignium, chartarum instrumenta ablata fuerint, per nostræ auctoritatis præceptum cum omni integritate ei concedimus ad habendum. Et nemini contradictori suo alteram chartam ostendat, nisi hoc nostræ auctoritatis præceptum. Et sit omnibus modis protectus atque defensatus tam res illius quam ipse, & nemo potestatis cujusquam persona ullo unquam tempore aliquam illi inferre præsumat molestiam; sed liceat ei cum omnibus suæ proprietatis rebus sub nostræ immunitatis tuitione pacificè easdem res possidere & ordinare. Si verò

aliquæ querimonie pro ipsis rebus adversus eum
 orta fuerint, quæ absque gravi dispendio nequeant
 diffiniri, jubemus ut usque in nostram suspendantur
 presentiam, quatenus ibi finitivam accipiant sen-
 tentiam. Et quicumque contra hoc nostræ immuni-
 tatis præceptum aliquid contradicere vel violare
 præsumperit, sciat se sicut & alias res emunctorias
 compositurum & emendaturum. Et ut hoc nostræ
 auctoritatis præceptum absque alicujus mutilatione
 plenissimam obtineat firmitatem perennis tempo-
 ribus, manu propria subter illud firmavimus, &
 anuli nostri impressione insigniri præcepimus; &
 propter quorundam malorum hominum calliditates
 illudetiam inserere jussimus, ut si aliquis nostri facti
 refragator in aliquo repertus fuerit, mox pena
 quam lex Theodosij præcipit, id est triginta libris
 auri esse multandum, atque chartario nostro substi-
 tuendum, & absque ulla minoratione Missis nostris
 persolvendum. Signum Ludovici. Datum 1111.
 Idus Augusti anno incarnationis dominicæ DCCCXCV.
 Indictione XII. anno Christo propitio regni Ludo-
 vici Regis IV. Actum Nicias castello in Dei nomi-
 ne feliciter. Amen.

De consuetudine sancti Donati.

BRevis vel computatio de consuetudine quam
 Episcopi Gratianopolitanæ urbis Ysaac, Al-
 cherius, Isarnus, Umbertus habuerunt vel tenuerunt
 seu fecerunt in Ecclesia sancti Donati confesso-
 ris, quæ est in comitatu Viennensi sita & in vico
 Iovinziaco. Hi Pontifices congruo tempore in illa
 Ecclesia ut voluerunt ordinaverunt Clericos, dede-
 runt pœnitentiam peccatoribus, eiciendo de Eccle-
 sia & recipiendo, benedixerunt ibi chrisma in cœna
 Domini. Et in parasceven est consuetudo ut ibi